



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Conversio Peccatoris, Seu Modus quo Peccator communiter resurgit ad justitiam.**

**Lefelon, Antoine**

**Bruxellis, 1675**

§. 2. Non obstat bonitati Divinae quod peccatores & praecipuè inveterati non sint securi, quod Deus illos postea convertet.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-9433**

## §. I I.

*Non obstat bonitati Divinae quod peccatores & precipuè inveterati non sint securi, quod Deus illos postea convertet.*

**N**on habet autem ejus bonitas, ac per hoc indignè id ei tribuitur, quod non converfis peccata indulgeat. Voluntariè peccantibus suisque cupiditatibus quantum & quousquè libuerit servientibus, accipiendi pœnitentiæ temporis aut conversionis gratiæ, cum eis placuerit, non donat securitatem; terret potius omnes cum per Hagiographos suos scribi voluit, quosdam ob præcedentium delictorum suorum demerita dimissos secundum desideria cordis sui, à se traditos in reprobum sensum, excæcatos & obduratos. Post acceptam notitiam veritatis & baptismi innocentiam sponte relapsis ad eam rursus *novitatem & integritatem per Sacramentum pœnitentiæ sine magnis eorum fletibus & laboribus suâ id exigente justitiâ, non concedit pervenire. Ut merito pœnitentia laboriosus quidam baptismus à sanctis Patribus dictus fuerit. Quem verò in peccatorum conversione modum teneat, qualiter eis pœnitentiæ donum largiatur,*

ut

*Conc. Trid.  
Sess. 14. c. 2*

PECCATORIS. 55

ut dignè de ea loquamur , iterum dico non phantasmata nostra , sed quantum datum fuerit , veritatem sequamur.

Revelavit in Scripturis suis qui solus *bonus est Deus* , se à nobis velle orari , se velle *Matth. 19. vers. 17.*

instanter orari , se velle importunitate quadam , sua sibi dona extorqueri. Hoc *Luc. 18. Luc. 11.*

pauperis viduæ assiduitas , hoc importuni amici docet improbitas , istud ejus in nos bonitatem non minuit sed auget.

Nobis enim utile est necessitate quadam cogi ad ipsum recurrere , ad ipsum frequenter affectum levare , ipsum bonorum nostrorum largitorem , augmentatorem , servatorem recognoscere. Hinc

Dei bonitate indignum non est quod & justos velit *magnis precibus* necessarium sibi auxilium implorare , propter quod

dicit eis Tridentina Synodus , *ut cum timore ac tremore salutem suam operentur in laboribus* , in vigiliis , in eleëmofynis , in orationibus & oblationibus , in jejuniis & castitate. *Sess. 6. cap. 13.*

